



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Venerabilis Yolanda Priorissae Ad Mariae Vallem in
Ducatu Luciliburgensi**

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Genealogia Historica. Veterum Comitum Viennensium in Arduennâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

GENEALOGIA HISTORICA.

Veterum Comitum Viennensium in
Arduennâ.

C A P U T I.

Godefridus, Gerardus, Fridericus, Sigifridus, Godefridus & Fridericus.

GODEFRIDUS.

 Uit Decanus Cœnobij Stabulensis.
De eo Chronicon Magnum Belgicum
ex Chronicis Episcoporum Leodien-
sium: Anno Domini 986. Godefridus, Co-
mitis Viennæ filius & Ecclesie Stabulensis Decanus, addu-
xit fereirum S. Remacli Leodium, occasione cuius duæ
Ecclesiæ Parochiales S. Remacli Leodij fuerunt consecratae.
Fusius ista Fisenius.

GERARDUS.

Subscribit tabulis donationis fundi Geichlin-
gani, factæ Esternacensi Cœnoboio, anno 1096.
Titulo Comitis de Viennâ.

N 6

FRI-

FRIDERICUS.

Forum S. Petri, Vicus Limburgum inter & Traiectum Mosæ, memorabilis est Conventu Ludovicorum, Ludovici Pij Imperatoris nepotum, ibi anno 878 habitò. In actis D. Huberti Fura appellatur; vulgò *Foron*. Huius loci Parciam Conradus Comes Luciliburgensis, condens Cœnobium Munsteriense, novellæ domui dedit. Patris deindè donum Guilielmus filius probandum curavit ab Alberone Episcopo Leodiensi, in Conventu Principum ad Forum S. Petri convocato, anno 1124. Tabulas probatorias inter alios signavit Comes Fridericus de Vienna.

Albero Trevirorum Archi-Episcopus à Conrado III. Cæsare cœnوبium D. Maximini impetraverat. Henricus Comes Luciliburgensis & Namurensis, cognomento Cæcus, erat avito iure eius cœnobij Advocatus seu protector. Is conflato exercitu, ferente etiam opem Balduino Hannone, suæ tutelæ cœnوبium vindicare constituit. Iuvat ista narrantem audire Baldricum eorum temporum scriptorem. Comes, inquit, in Principio huius discordia, ex improviso, antequam Dominio suo fidelitatem condixisset, cum mille quingentis milibus Trevirensi appropinquavit Civitati. Et Trevirini non erant præmuniti, nec vallo nec muro adhuc cincti, & longâ pace bello desueti; & ipse Archi-Episcopus aberat, in curia Regis existens. Potuisseq; civitatem ium sub-

zum gravasse, si Deus hoc malum non avertisset. Sed Comes Fridericus de Viennâ tum fortè fortuitò erat in Civitate, & occurrens Comiti Namurense, multis fuscionibus eum redire fecit, monstrans magnam fore ipsi & perpetuam infamiam, si quid tale contrà Dominum suum committeret, antequam Domino suo renunciasset: præsertim contrà Maiestatem Regiam id fore, si Archi-Episcopo, ex mandato Regis in curia commemoranti, malum aliquid inferret. Hucusque Baldricus. Browero placuit, facta hæc esse anno 1139.

Cùm deindè Albero Richardo Sprinckirsbañensi Abbatii Kemetam Parœciam Treviris in Synodo donaret, tabulas ibi donationis inter alios anno 1142 signavit idem Fridericus Viennæ Comes. Sed in posterum Fridericus Alberonem ex amico infestum habuit, anno, ut visum Browero, 1147. Rem narrat Baldricus. Arram quaque castrum Fridericus de Viennâ, cum custos unius turris ab Archi-Episcopo esset constitutus, totam sibi usurpaverat, & rapinas multas in flumine Moselle exercebat. Quod Archi-Episcopus iterum recuperans, Comitem Fridericū indè eiecit.

S I G I F R I D U S.

An Friderici filius, an frater, incompertum: De eo ita in priscis Trevirorum Annalibus. Idem Comes Henricus Luciliburgensis & Namurense, & Viennæ Comes Sifridus in hoc confiraverunt, quod interque Castellum unum in Episcopatu Trevirorum adificare,

206 Genealogia Historica Veterum Comitum
cares, unde ille pro Manderscheide, iste pro Arra Episcopatum fatigerez. Hanc interim conſpirationem Hillinus Trevirorum Archi-Episcopus, Alberonis successor, vir prudens & providus tali modo disposuit, quod Comes Namurensis Macheram ſe vivente teneret, & post ad Episcopatum rediret. Browerus hæc anno 1153 attribuit.

GODEFRIDUS.

Neque de Godefrido, cuius filius fraterve fuerit, quidquam iuuenio. Henricus VI. Imperator, Ioanne Archi-Episcopo Trevirorum agente, Godefridum Eſternacensem Abbatem gradu moverat. Sed eum deinde tabulis Auguſtalibus reſtituit, teſtibus Principibus viris, inter quos Godefridus Viennensis. Browerus factum ait anno 1192. ex tabulis ut arbitror.

FRIDERICUS.

Multa deinde & constans mentio eſt in veteribus monimentis Friderici Comitis de Viennâ, ſed tacito patris eius nomine. Sub annum 1193, ut censet Browerus, Ioannem Trevirorum Archi-Episcopum captivum abduxit. Id ita scriptum in vetustis Trevirorum libris. Captus Ioannes Archi-Episcopus à Comite Viennensi, cuſtodiæ mancipatus eſt. Vnde permotus Henricus Palarinus Comes Rheni, dixit, ſe exponere velle ſe & ſua ad liberationem Domini ſui. Ipo ergo & alijs potentibus ad bellum ſe parantibus, Comes

Comes Episcopum dimisit transactione interveniente. Ita exemplar V. A. Eustachij Wilhemij quondam Præsidis Luciliburgensis, nomine proprio, Comitis Viennensis, prætermisso. Sed exemplaria alia Friderici nomen repræsentent oportet, tum quod Christophorus Browerus, eo nomine hâc in narratione usus est, tum verò maximè, quod in adversarijs antè annos centum scriptis, hic locus ex Trevirorum libris cum *Fridericus de Viennâ* nomine refertur.

Anno sequenti 1194 Fridericus interfuit bello Namurensi. Cùm enim Balduinus Hannoniæ Comes Henricum, cognomento Cæcum, Comitem Namurensem & Luciliburgensem, Namuro depulisset, Henricus Brabantiae Dux pulso tulit opem. Iunxerant eius exercitui copias suas Henricus Dux Limburgensis, Theodoricus Comes Hollandiæ, Gerardus Comes Iuliæ, Albertus Comes Daaburgensis; iunxit & suas Fridericus Comes Viennensis. Pugnatum mense Septembri, Victore Balduino.

Adfuit deindè Fridericus scribendo inter Viros Principes atque magnates, cum Henricus Palatinus Comes Advocati ius, quod ei erat in Civitatem Trevirorum, Ioanni Archi-Episcopo vendidit. Conditæ tabulæ anno 1198.

Anno 1200. Elisa Dei gratia Comitissa Salmensis, dat Ecclesiae in Niderprum ius Patronatus Ecclesiae Sigen-dorff in allodio suo sitæ, testibus Gerardo Prumiensi Abate, Wilhelmo Decano maioris Ecclesiae Trev. Friderico
Comite

Comite Viennensi (cuius sigillum etiam appensum est) &
Mathilda Comitissa Viennensi & alijs. Hæc ego olim
meâ manu in inferiore Prumiâ ex tabulis auto-
graphis.

Anno 1205. ut rationes subducit Browerus,
Friderico dissidium fuit cum Ioanne Trevorum
Archi-Episcopo. Liber Gestorum Trevorensum rem
ita narrat: Comes Viandensis castrum ædificare cœpit,
non longè à Civitate Trevorum. Quintenberg à
Quintâ rivo proximo ita dictum, iuxta fontem Mi-
lonis, haud procul vico Erangio. Ioannes igitur col-
lecto exercitu castrum obsedit. Aliud ipse in proximo fon-
te adificavit, & sic obsidionem solvit. Infra paucos dies
per eius industriam vino opimo ibidem tabernariè expo-
sito, castellani, servi Comitis, facti sunt temulenti: eisque
sic soporatis, castellani Episcopi castrum Comitis invase-
runt, & combusserunt; quo facto Episcopus delevit ea
suum. In Chronico Cononis à Falkenstein Archi-
Episcopi Trevorensis, idem iisdem propè verbis
memoratur, sed neque nominato Friderico. Ei
tamen hæc attribuit Browerus, nec dissentiente
me. In iisdem gestis de Friderico ita scriptum, sed
absque temporis nota. Idem Ioannes Trevorum
Archi-Episcopus conquisuit à Friderico Comite de Viennâ
ambo castra sua in Dudelendorff, & castrum suum in
Garlan, quæ & ipse, Ecclesie Trevorensi contulit, & ab
Archi-Episcopo in beneficio recepit. Obiit Ioannes an-
no 1212. Ad Fridericum quoque retulerim, quod
ex vetustis Trinitariorum Viennensium moni-
mentis hæustum tradidere Bertelius & Browerus,
cuius

cuius posterioris verba ponam. Henrici Comitis Viennensis (de quo mox) pater , in sacra Palestina loca, profectus , cum istic à Barbaris captus diu ærumnoseque in arcta custodiâ latuisset , denique stipe & benignitate Redemptorum , quos per fidum hominem sollicitarat , servitatem excusit , nexusque Barbarico solutus , cum assertoribus rediit ad suos salvus. Lytrum inde Ordinis Magistro solvit , & humana aliquot post annos exuit. Hæc cum Bertelio Browerus Friderico haud cunctanter attribuunt , patrem eum appellantes Henrici , qui posteà Trinitariorum Domum Viennæ constituit. Ego nullo quidem veterum testimonio Henrico patrem fuisse Fridericum comperio , rerum tamen temporumque concordia id facile persuadet.

Friderici sororem statuo Mathildam , quæ cum eo tabulas inferioris Prumiæ anno 1200. signavit , de quibus suprà. Neque pugnat , quod Comitissa Viennensis inscribitur , quasi ius ei aliquod in Viennam , ac proindè Friderici potius uxor , quam soror , videri possit. Nam & puellis innuptis vivis parentibus secula illa nomen Comitissarum interdum dederunt. Ita Hermannus , scriptor rerum Yolandæ , filiam Comitis Salmensis (qui erat Henricus tuncque vivebat) sponsam Friderici fratris eius , Comitissam Salmensem nuncupavit , cum eam introducit invitantem Yolandam ad choreas :

Dy brud dy suster danzen hys
Don Salmen dy grebinnen.

O

Hæc

Hæc porrò Mathilda nupta primum Lothario Hochstadensi Comiti, peperit Lotharium Comitem Hochstadianum, Conradum Coloniæ Agrippinæ Archi-Episcopum, Fridericum Præpositum S. MARIÆ ad Gradus Coloniæ, aliquamque prolem. Lothario dein post annum 1227. defuncto, iuncta est Henrico, ex præposito Traiectensi Comiti de Duras, filio Gerardi Comitis Loffensis, ex eâque suscepit Hymanam, Abbatissam Salsiniensem. Hinc in tabulis Salsiniensibus, quas Hermannus Crombachius à me missas in Vindicijs Ursulanis evulgavit, dicta est Hymana Conradi Archi-Episcopi Soror Uterina. Hinc quoque Hymana eadem, Henricum, Yolandæ Patrem, consanguinitatis vocabulo (*Sippe*) apud Hermannum appellat, quippe eius consobrina. Hinc denique ibidem Yolanda Conradum, *Oeme*, id est, avunculum, Hymanam vero, *Mume*/ hoc est, amitam sæpè nuncupat; more nimirum eius ævi, quo id licebat patruelium & consobrinorum liberis, prout doctè demonstratum à V. C. Iacobo Chifletio, Lumine Salico VII. & XI. ad Vindicias Hispanicas.

Præter Hymanam Conradi Archi-Episcopi sororem, alias tres memorat Hermannus; quæ Yolandam, sicut Hymana, impugnaverint, quarum trium in eo opere prima fuit Ordinis Cisterciensis Aleida, Antistita ad D. Walburgis. Hæc cum eâdem Hymanâ ex oraculo S. Julianæ quingenta D. Ursulæ sodalium cadavera Coloniæ

niæ invenit, perque varia Belgij cœnobia distri-
buit, ut Fizenius in libro de origine diei festæ
Corporis Christi ex antiquis, & Crombachius
in Vindicijs Ursulanis. Altera in impugnandâ
Yolandâ fuit Hengenbachia, *Begina*. Post has
duas, tertia successit in eo certamine Abbatissa ad
D. Thomæ in Treviris. Has omnes Conradi
sorores vocat Hermannus patrio vocabulo Yo-
landę **Mumen**/hoc est severè loquēndo, amitas
vel materteras; utrumque enim vox ea significat.
Sed Hermannum voce **Mumen** usum laxè, prout
valet cognatas, iam monuimus. Erant autem
tres istę Conradi sorores, cognatę Yolandę,
quod natę essent ex Mathildâ Viennensi; sicut
& Hymana, quę Henrico Durassio progenita,
erat Conradi, ex Mathildâ & Lothario Hoch-
stadani orti, uterina. Trium autem reliquarum
uter fuérit Pater, an Lotharius Hochstadianus, an
Henricus Durassius, non comperi.

FRIDERICI LIBERI.

HENRICUS, de quo postea.

N. N. filij capti cum Henrico fratre à Walra-
mo Limburgio, Comite Luciliburgensi, in bel-
lo, quod ei fuit cum Philippo Comite Namu-
rensi, anno 1220. ut mox pluribus.

O 2.

CA-

CAPUT II.

*Henricus Comes Viennensis & Namurensis,
eius Vxor Margarita Curtiniacensis,
& horum liberi.*

Captus est Henricus in bello Namurensi anno 1220. ut supra dici cœptum. De eo bello ita eodem anno Albericus. Comes Namurensis Philippus, Comitis Petri Autiſiodorensis filius, contrâ Valerannum (Limburgicum Comitem Luciliburgensem) varios habuit conflictus. Sed tandem per Episcopum Leodiensem (Hugonem Petrapontium) & Archi-Episcopum Colonensem (D. Engelbertum) bonis viris mediantibus firma pax interponitur. Hoc bello Henricum Viennæ Comitem cum fratribus partes Philippi secutum, inferiùs dicenda non obscurè demonstrant; cur autem secutus sit, an quod iam tum esset Philippi sororius, ductâ eius sorore Margaritâ, divinandum relinquo; et si non est improbare. Id certum, captum eum per id bellum à Walramo, eiusque fratres. Cùm enim eodem anno 1220. mense Augusto, inter Walramum & D. Engelbertum Archi-Episcopum Colonensem, (cui cum Walramo de Montium ditione erat controversia) pax agente Henrico Brabantiae Duce conciliaretur, inter pacis capita, unum illud fuit, ut Walramus Henricum Viennæ Comitem eiusque fratres, quos captivos habebat,

bebat, liberos sine ullâ conditione adiectâ dimitteret. Quod si in posterum Viennensis clientelæ causâ Walramo esset cum Henrico controversia, ut ne eâ re pacis huius quidquam violaretur. Hæc ex tabulis pacificatorijs Gelenius, in actis D. Engelberti, & Butkenius in trophæis Brabanticis. Cæterùm hinc intelligitur, iam hoc tempore clientes fuisse Luciliburgensium Comitum Viennenses, deque eâ re agitatâ cum Walramo Comite Luciliburgensi dissidia, quæ sæpè deinceps memorabuntur.

Fuerunt ad hæc in clientela Prumiensis cœnobij Comites Viennenses, quâ de re est locus egregius in veteri codice Prumiensi. Continet is descriptionem iurium atque vectigalium cœnobij, exaratus primum anno 993. iterùm deinde (sed adiectis interdum notationibus) anno 1222 à Cæsario ex Abate Prumiensi, cœnobiti Heisterbacensi, cuius meminit Cæsarius alter Dialogorum ille scriptor. De clientelâ porrò Viennensi hæc est annotatio. Constat Comitem Viennæ (erat Henricus noster) tertiam partem Abbatiæ citrà Kile fluvium ab Ecclesiâ in Feodo possidere, & duas partes, nobis & conventionalibus Ecclesijs ac ministerialibus nostris retentas, sic ut, fidelis noster & nobilis homo, ab invasoribus deberet, quantum in ipso esset, defendere; ita tamen, quod ibidem nullam violentiam contra suum iuramentum præsumeret inferre, & nihil ibidem, præter servitium, quod ei à Prædecessoribus nostris indulsum est, quod Voidineſt appellatur, & tertiam partem placi-

214 Genealogia Historica, veterum Comitum
borum, sive satisfactionem, debito modo secundum privi-
legia Ecclesiae deberet percipere, & non solum nobis, sed
toti familie, ut ita dicam, honorem exhibere, & in om-
nibus, ubi necessitas requireret, sub alis suis refugium &
fidele auxilium ministrare. Prædictus enim Comes tenet ab
Ecclesiâ curiam de Clutterche, & curiam de Trittenheim,
& item Trittenheim, curiam I. in Sueyge, curiam de
Veis, quæ sita est suprà Prumiam fluvium, curiam de
Trimparden, curiam de Mettendorff, curiam de Daley-
den & magnam Viciniam circâ Daysberche castrum, quod
etiam tenet à nobis. Curiam de Manderscet iuxta Vasui-
bre, curiam de Didendorff, curiam de Bure iuxta Reme-
che, ius patronatus & duas partes decimæ Ecclesiae de
Kileburhe iuxta Malberche, curiam de Oremute, ubi Kila
oritur, Villam I. iuxta Lizendorff, quæ Buyle appellatur,
mediatatem curiae de Sconhoye iuxta Monasterium. Item
Monasterium, & Arre, & aliquas villas, & magnam
silvam. Puto prætereà eum tenere iuxta Arre bonam vil-
lam, quæ appellatur Muckesceyt; attinet enim illi curiae
ius patronatus Ecclesiae eiusdem villæ, quam tenent ab eo
hæredes Domini Vareboldi de Arre. Ista planè non constant
mihi; idcirco investigate. Debet & tenere Ludenauker,
& Pitersheim, quæ sita sunt ex illâ parte Mosæ iuxta
Mastric. Tenet etiam ius patronatus Ecclesiae de Bastena-
che & alios redditus nostros ibidem cum decimâ. Sex enim
patronatus tenet Ecclesiarum, Mettendorff I. Veys, II.
Daleyden, III. Kileburch, IV. Bure iuxta Remeche, V.
Bastenache, VI. Puto etiam eum tenere patronatum Ec-
clesiae de Sconhoye iuxta Monasterium. Hæ enim curiae,
quas suprà descripsimus, amplos & longos & satis opimos
habent

habent terminos. Præterea tenet duas villas iuxta Dune
castrum, quas illi de Manderscyeit, Dominus V. & fra-
ter eius vel heredes eorum, tenent ab eo. Præterea tenet
alia quam-plurima, quæ modo non habeo in memorâ.
Ista planè non constant mihi; idem investigate. Hacte-
nus Cæsarius, enumeratis universim Viennen-
sum Comitum clientelis Prumiæ obnoxijis, quas
deinde sigillatim suis locis exequitur.

Præter hæc Prumiensia, possedere Comites
Viennenses alia quam-plurima, & in primis à Co-
mitibus Luciliburgensisbus ipsam Viennam; qui-
bus adde, quæ Henricus noster D. Engelberto
Coloniæ Archi-Episcopo clientelæ nomine ces-
sit, in Hamme; itemque ius de Nuenberg Comitatus de
Manderscheid castris sui, quæ Gelenius in sua Colo-
niâ memorat; ut ingentes, sanè, fuerint Henrici
opes, maximaq; latifundia.

Tantis opibus & claro suo genere dignum in-
vit matrimonium, ducâ Margaritâ, filia Petri
Curtiniacensis, Imperatoris Constantinopolitani,
cuius avus fuit Ludovicus Galliæ Rex, cogno-
mento Crassus. Albericus Sibillam nominavit, an
errore, an quod id alterum esset Margaritæ no-
men, haud excutio.

Anno 1217. Petram & Yolandam parentes
ab Honorio III. Pontifice Maximo Romæ Im-
peratorio diademate coronari vidit cum fratribus
Roberto & Balduino, tribusque sororibus, ut
tradit Robertus Autisiodorensis, vetus scriptor,
& post veteres Petrus d'Outremannus.

Nupserat antea Margarita Rodulfo Comiti Uxellodunensi, Odonis filio, ut Auctores sunt ex antiquis, Albericus; ex nostris, Andreas du Chesnius, & Petrus Chifletius, Viri Doctissimi, ille in Drocensi, hic in Fontanensi D. Bernardi stemmate. Sed ex eo matrimonio nulla fuit proles. Obijt Rodulphus Kalendis Martijs anno mihi incomerto. De die ita Ephemerides MARIAE Vallis.

Kal. Martij, obijt D. Rodulfus Dominus Yodunensis, primus maritus sororis Margaretæ, quondam Comitissa Viennensis.

Nec magis compertum habeo, quo anno Henrico Margarita nupserit. Id ex tabulis constat, anno 1231 fuisse Henricum & Margaritam coniuges. Cum enim Margaritæ frater Philippus, bello Albigensi anno 1226 defunctus, testamento mandasset condi cœnobium patrum Cisterciensium, Henricus & Margarita ex Philippi decreto cœnobium Grandis Prati in agro Namurense condiderunt. In geminis eâ de re tabulis eo anno editis, inscribuntur, *Henricus Marchio Namurensis & Viennæ Comes, & Margarita Marchionissa & Comitissa.* Quo pacto autem ad Margaritam Namurensis ditio pervenerit, paulò altius hîc repetendum.

Henrici Comitis Lucilburgensis & Namurensis, cognomento Cœci, filia Aleida, nupsit Balduino Magnanimo, Hannoniæ Comiti. Is iure uxorio & Friderici Imperatoris concessu Namurum

rum

rum occupavit, moriensque Philippo filio, Nobili appellato, ceu hæredi, transdidit.

Decessit hic sine liberis, eiusque soror Yolanda, Petri Curtiniacensis uxor, Namurum per quadriennium habuit, postposito fratre eius Henrico, tunc ad imperium Orientis à Latinis proceribus excito, quoad tandem Philippo filio id cessit. Philippo autem in bello contrâ Albigenes anno 1226. haud longè Avenione defuncto, Margarita nostra eius soror in Namurensi ditione suffecta est. Sed non diu ei Namuro pacatè frui licuit. Primum Ferrandus Flandriæ comes armis eam impetijt, quod uxori suæ Ioannæ præ Margaritâ ius in Namurum esse contuleret. Erant enim Ioanna ex Balduino Imperatore Constantinopolitano eius nominis primo: Margarita ex Yolandâ, uti dixi, eius sorore, prognatæ, & nascendi ordine Yolandam Balduinus anteibat. Quocircum potior ad habendum Namurum erat Ioanna. Et hæc causa est illati Margaritæ à Ferrando eius marito belli; quod pace mox secutâ scepsum est. Pax ea facta Cameraci anno 1232. mense Novembri. Ita relicto Margaritæ Namuro, Ferrandus & Ioanna coniuges eodem anno ratum habuere, ex Philippi cognati sui testamento, conditum ab Henrico & Margaritâ Grandis Prati cœnobium.

Interea Balduinus Margaritæ frater evexitur ad culmen Imperij Constantinopolitani, sub annum 1237, Rebus autem haud prosperè ei per

O S

imperij

218 *Genealogia Historica, veterum Comitum.*

imperij initia succendentibus, venit in Galliam, petitum à D. Ludovico Galliæ Rege suppetias. Addixit auxilia Ludovicus, & insuper Namurensem Provinciam pro Balduino armis à Margaritâ eius sorore repetijt. Nec passa illa sibi amplissimam ditionem facile eripi, arma armis opposuit. Pugnatum acriter. Sed tandem Henricus cum Margaritâ non absque Namurensium sanguine ex urbe patriaque eiecti, locum Balduino cesserunt, cuius sunt tabulæ pro cœnobio Grandis Prati, factæ hoc anno mense Aprili Valentianis.

Cætera deindè de Henrico & Margaritâ diximus in rebus Yolandæ. Addimus hic utriusque Elogium ex Ephemeridibus Grandis Pratis.

IV. Kal. Novembris, Anniversarium Nobilissimi Marchionis & Comitis Henrici & Margaretæ conthoralis eius, fundatorum nostrorum, quorum animabus misereatur Deus.

H E N R I C I E T M A R G A R I T Æ
L I B E R I.

F R I D E R I C U S. Nominatur à Patre & Matre in tabulis anni 1248. quas in rebus Yolandæ adscripsimus. Nominant eum quoque Ephemerides MARIAE Vallis, & Cantipratanus, et si tacito patris nomine, ut ibidem diximus. Obiit antè eundem annum 1248. proque eodem defuncto preces Anniversarias parentes Trinitarijs Viennensisibus iisdem tabulis indixere. Diem mortis eius ita signant Ephemerides quas dixi.

IV. Idus

IV. Idus Novembris, obiit Fridericus filius Domini
Henrici Comitis Viennensis.

Exinde primogeniti titulus Philippo eius fra-
tri secundogenito tributus est. Ita in tabulis an-
ni 1248. memorati Henricus & Margarita, do-
tantes Trinitarios Viennenses, aiunt, se id face-
re de consensu Philippi sui *Primogeniti*; ac deinde
Anniversaria sacra instituunt pro se vivis, & fi-
lijs *Friderico* & *Philippo*; illo quidem reapse primo-
genito eaque de causa primo loco nominato, sed
mortuo; hoc autem vivo, & secundogenito, ideo-
que secundo loco posito, succedente tamen in
ius primogeniti. Unde & in titulo arcæ, de quâ
in rebus Yolandæ, Philippus *Primogenitus* quoque
dictus est.

Uxor ei fuit filia Comitis Salmenſis, Henri-
ci, ut interpretabar ego. Nuptiarum solenne ex
Hermanno recensuimus. Ea Friderico mortuo,
ut auctor est Thomas Cantipratanus, Waltheri
Meisenburgij suasu Sanctimonialis facta est Ci-
sterciensis, & tandem in eodem ordine Anti-
stita.

Liberosne ex Friderico sustulerit, nullo veteri
monimento traditum invenio. Colligit tamen in
historiâ suâ Luciliburgensi V. A. Eustachius
Wilhemius, sustulisse Henricum Bellacostæ Do-
minum, qui in tabulis anni 1270. Philippum
Yolandæ fratrem vocat idiomate Gallico *Onde*,
quæ vox patruo & avunculo æquè convenit, &
positam esse pro patruo, infrà in *Philippo*, ad

annum 1256. probabili arguento patebit. Ad de quod Bellacostani proceres Henrici posteri, insignijs Viennensibus vetustis, hoc est, Parmâ argenteâ in areâ rubrâ, usi fuerint, cuius rei sunt exempla iam indè ab anno 1341.

Qua id porrò de causa, nisi quod essent paterno genere à Viennensibus Comitibus orti? Unde & idem Præses, in collectione procerum gentis Bellacostanæ adnotavit: *Domini in Schonecken à Comitibus Viennensibus descendunt.* Quibus omnibus efficitur, Friderici Viennensis ex coniuge Salmensi fuisse filium Henricum Bellacostanum.

PHILIPPUS. Is genus post patrem propagavit, de quo deindè seorsum.

HENRICUS, clarus insulâ Pontificiâ Traiectensi. Sed antè claruit dignitate Præpositi ædis maximæ Coloniæ Agrippinæ, quo titulo eum perpetuò cohonestat Hermannus. Postea Yolandâ eius sorore cœnobium MARIAE Vallis anno, ut diximus, 1248 ingressâ, ad Cathedram Pontificalem Traiectensem evectus est. Cum enim anno 1249 Otho Episcopus Traiectensis obiisset, sublectus ei est Goswinus ab Amstel. Sed eo per annum rem malè gerente, conventus habitus Traiecti. Adfuerunt Wilhelmus Romanorum Rex, Petrus Cardinalis Capitius, & Conradus Archi-Episcopus Colonensis, & cedente Goswino, iubente Conrado, sublectus est Henricus filius Comitis Viennensis, Conradi Consanguineus, ut ait Ioannes à Leidis. Non tulere proceres

Am-

Amstelani & Voerdenses, Goswinum propinquum suum ita redactum in ordinem. Igitur cum Othoni Geldriæ Comite iuncto fœdere, Henricum armis infestant. Is vir strenuus copias in hostem Traiecto educit, benè apprecante & victoriam ominante, qui tum Traiecti aderat, Conrado Archi-Episcopo. Mox fama excivit Regem Romanorum Wilhelmum; quem Traiectum advolantem, ut bellum sospiret, Conradus sapienti oratione intrâ mœnia continuuit. Interea Henricus cæsis fugatisque hostibus victor Urbem equo invehitur, captos victosque iuxta se agens Amstelium & Woerdenum; quos tamen Conradi rogatu mox liberos dimisit.

Non passus diu inultum manere initum contrâ se Othonis Geldri fœdus, postridiè, quâm de hoste triumphaverat, victoria in eum arma convertit. Otho contrâ egressus in aciem, cæsus fugatusque cessit ingentem Henrico prædam. Per eadem tempora anno 1251 Henricus, etiam tûm electus tantûm Archi-Episcopus, & adhuc Præpositus summæ ædis, & Archi-Diaconus Coloniensis, cum à Pontifice Maximo obtinuisset, ut sibi liceret proventibus suorum *Beneficiorum*, ut vocant, uti, frui, concessit Elysæ Abbatissæ SS. Virginum D. Ursulæ sodalium Coloniæ, ut Parœcia Kellensis sibi debitos fructus haberet; quod anno deinde 1252, 5. Kal. Augusti ratum habuit, etiam tûm quoque Electus tantum, ut supra dictum. Tabulas edidit Crombachius in Vindicijs Ursulanis.

In po-

In posterum *Elecli* titulo liberatus, anno 1254. funda-
menta iecit maxime Basilicę Traiectensis. Eius quoque opus est arx *Vrelandia*, ita dicta à pace partā post devictos Amstelios. Ex quā vi-
ctoriā ingenti confectā prēdā, sufficere imposte-
rum opes ad antē memorata aliaque molimina.

Interim dum his rebus curam Henricus im-
pendit, successit novi belli materia. Anno 1258.
in decursionibus equestribus Antuerpię Iæsus
gravissimè Florentius, Florentij pueri Hollandiæ
Comitis tutor, occubuit. Hinc scissi in factio-
nes Hollandi, alijs Othoni Geldriæ Comiti, alijs
Henrico Brabantiae Duci tutelam deferentibus.
Unde intestina bella, vicinos etiam Principes
commovere. Conradus Coloniensis Archi-Epis-
copus & Gerhardus Iuliacensis Comes in arma
coorti, prælio confluxerunt. Henricus iunctis
adversus Geldensem cum Conrado copijs, post
longum & acre certamen, noctis interventu si-
mulata fuga, tabernaculis repente sublatis, dis-
cessit. Sed postero die sub auroram Geldenses
nec opinantes aggressus accidit, & castris exuit,
fugientesque insecutus atque populatus agros,
prædam ingentem victor retulit, ut narrant Be-
ka & Leidianus.

Eodem anno Theodoricus Clivię, & Otho
Geldriæ Comites, bonis suasoribus, controver-
siam quandam submisere arbitrio Conradi Ar-
chi-Episci Coloniensis & Henrici Traiecten-
sis. Locus arbitrij lectus Neomagum. Sed arbit-
ris

tris moram subindè trahentibus, delata contro-
versia ad Henricum Brabantiae Ducem, si prio-
res arbitri ad X. Kal. Octobris Neomagi non ad-
essent. Hæc Butkenius ex tabulis. Quo pacto
deindè Henricus fratri suo Philippo ab Henrico
Bellacostæ Domino capto subvenerit, in rebus
Philippi exponam.

Anno 1268. ad MARIAE Vallem advenit, ut
in rebus Yolandæ dictum. Indè Traiectum re-
versus, prid. Nonas Iunij eiusdem anni decessit.
Collegium Canonicorum Steinwichiæ primus
instituit, & Provinciam optimè munitam succes-
sori suo reliquit. Situs est in æde maximâ à se
condi cœptâ, hoc epitaphio adscripto.

*Qui nova præcelsi iecit fundamina templi,
Præsidium Vreland extruit huic populo.
Vir placidus, recti custos, virtutis amator,
Tempore quem nullo laus reticenda manet.*

In Ephemeridibus MARIAE Vallis ita de eo
scriptum est.

Prid. Nonas Iunij Obiit D. Henricus Episcopus Traie-
ctensis, qui nobis multa bona fecit; pro cuius Anniversa-
rio agendo D. Iohannes de Jubileo dedit nobis XXII. li-
bras Trevirensium Denariorum, cum quibus comparavi-
mus XX solidos censuum Trevirensium Denariorum, &
tria maldra siliqinis reddituum singulis annis in Molendi-
nis de Stirpenich, de quibus conventus habebit ad pitan-
ciam XXX solidos ipsâ die.

Item Anniversarium prædicli Iohannis Canonici Leo-
dienis, de quo habemus in Theonivillâ XL solidos cen-
sum

224 Genealogia Historica , veterum Comitum
suum Metensium Denariorum , & IV amas vini in qua-
dam vinea posita ibidem iuxta vineam nostram singulis
annis . Hic ordinavit , ut pro se , & pro predicto D. E-
piscopo dicerentur tres Missæ per singulas hebdomadas sancti
Petri Martyris .

Iudicium vicus est trans Mosellam è regione
Theodonisvillæ , patria Johannis à Iubileo , ubi
Ludovici Pij Imperatoris filij , Lotharius , Ludo-
vicus , & Carolus anno 844 . Synodum seu con-
ventum habuere . Nunc contractâ voce *Iendtz*
appellamus ; quod *Iubilum* ore nostro significat .
Hinc Ioannes ille Canonicus Leodiensis , cogno-
men sibi fabricatus est à *Iubilo* , ignoratione , ut
ferebant rudia illa tempora , Latini nominis pa-
triæ suæ . Othonibus imperantibus Iudicium
Comitatus in pago Mosellensi erat caput , ijsdem
que temporibus Ioannes Abbas Gorziensis , in
actis translationis Divæ Glodesindis , *Villam Indi-
cium* nuncupavit .

P E T R U S . Fuit præpositus D. Martini
Leodij . Sub annum 1264 . cum Henricus Bella-
costanus eius nepos Philippum Comitem Vien-
nensem , ipsius Petri fratrem , Bellacostæ capti-
vum detinuissest , persuasit Henrico fratri Traie-
ctensi Episcopo , ut Philippo subveniret .

Degebat per hosce dies Leodij ad D. Martini
reclusa Eva , Julianæ in festo die Venerabilis Sa-
cramenti instituendo adiutrix . Ad eam hoc eo-
dem anno VI . Idus Septembris , Urbanus Pon-
tif. Max. Viterbio diploma gratulatorium de-
cretæ

cretæ à se toto orbe terrarum illius festi diei, iam multò ante apud D. Martini Canonicos agente Julianâ celebrari cœptæ, transmisit Petrum porrò D. Martini Canonicorum tunc præpositum, haud dubiè non parum res ista attinuerit. Anno deinde 1271 Efternaci tres fundos hæreditarios, Ienensem, Buwilranum & Huchelinganum Margaritæ Comitissæ Lucilburgensi, eiusque filio Henrico, clientelares fecit, transituros sub ijsdem formulis ad Philippum fratrem suum, eiusque posteros Comites Viennenses. Tabularum habeo exemplar.

Denique Yolandæ sororis exemplo, spretâ inclyti generis prosapiâ, Patrum Dominicanorum Ordini se dedidit. De eo ita Ephemerides MARIAE Vallis.

Nonis Februarij obiit frater Petrus Prædicator, frater sororis Yolandæ Viennensis. Hac die habebit conventus apitantiam X. solidos de bonis de Nortzingen.

YOLANDA nostra incomparabilis.
N. filia incomperti nominis, ex solo Hermanno cognita.

C A P U T III.

*Philipus Comes Viennensis & Dominus Grimbergensis, eiusq; uxor Maria,
horumque Liberi.*

PHILIPPUS, genus in posteros propagavit. Friderico fratre maiore natu mortuo, P primo-

primogeniti titulus ei , ut suprà dictum tributus est , quòd in eum transisset ius & omnia primogeniti. Anno 1248. mense Iunio , iam ductâ uxore probavit , quod pater & mater eisdem Trinitarijs donassent domum hospitalem Viennensem & Parœcias Mettendorfiam & Daleidanam. Tabulas posuimus in rebus Yolandæ. Cum iisdem parentibus alia deindè Trinitarijs contulit anno 1252. mense Iulio , ut ibidem dictum.

Patre post hæc in Palæstinam profecto , cum mater Comitatu Viennensi se abdicasset, donavit iisdem Trinitarijs silvam , quæ inter Darrenbachium & Kincenbachium , ut ex tabulis autographis habeo , in quibus ita scriptum. *Aclum publicè coram Nobili & Charissimâ Matre nostrâ Margarétâ , quondam Comitissa Viennensi , præsentibus Viris Nobilibus Iosfrido de Wels , Henrico de Hokeleleic , Gerardô d'Erpeldanges , militibus &c. Anno 1252. mense Februario.* Annus hîc positus more veteri Gallico, quem hodieque morem Treviri servant , & cum annum à Ianuario nos ordiamur , illi inchoant à XXV. Martij , tantò serius post nos. Editæ ergo hæ tabulæ anno epochæ nostræ non 1252. sed sequenti 1253. Cera appensa tabulis , habet equitem , qualem in rebus Yolandæ descripsimus , cum insignijs Leonis. Circumscriptum. S. PHILIPPI DE VIENNA DOMINI DE DAS-BERCH. In aversâ cerâ circûm Parmam Leone notatam : CLAVIS SIGILLI.

Mirabar hoc loco , cur in illâ Philippi cerâ,
Comes

Comes ipse Viennensis non inscribatnr, sed tan-
tum Dasberchi Dominus, contrà quam in ipsis-
met tabulis factum in quibus disertè se dicit Co-
mitem Viennensem? Sed occurrebat, eum sigillo
vetere usum, quo antehac, patre etiamnum vi-
vente, ceras notabat, qualis est cera illa in rebus
Yolandæ descripta anno 1252. Et memineram
exempla vidisse me in archio nobilissimi cœno-
bij D. Maximini, ubi Otho Secundus signavit
Patris imagine, & contra Otho Primus imagine
filij; ut satis appareat, veteres in ceris tabularum
notandis non summâ semper religione ductos, sed
alia subinde sigilla impressisse pro alijs. Alioqui,
Philippum deindè usum paternis Comitum Vi-
ennensium insignijs, hoc est Parmâ in scuto, ob-
servavit V. A. Eustachius Wilhemius, Præses
Luciliburgensis, in collectione familiarum eque-
strium provinciæ nostræ.

Roda vicus est Viennâ haud procul, parœcia
quondam erat Viennensium, Templarijs subie-
cta. Sed quòd Viennensibus grave esset ibi fre-
quentare sacra, & quod eius parœciæ essent opis-
ma vectigalia, Arnoldus Trevirorum Archi-Epis-
copus eam partitus est, ita, ut duæ in posterum
essent, altera Rodæ, iuris Templiorum; alte-
ra Viennæ, iuris Comitum. Tabulas eâ de re
anno 1256. mense Aprili factas, Magister Fulco
de S. Michaële, domorum Militiæ templi in
Franciâ, & Comes Viennensis Philippus, cum
coniuge, laudaverunt.

Bello deinde Philippus cum Mediomatricensibus implicitus est, horumque partes visus est tenuisse Henricus Comes Luciliburgensis. Capta eo bello Vienna. Philippus recuperaturus suum oppidum, illud obsedit. Belli exitum atque causas non invenio. Facilè tamen cùm V.A. Eustachio Wilhemio eo retulerim, quòd Henricus Bellacostæ Dominus, Philippi ex Friderico fratre primogenito antè hæc tempora iam mortuo nepos, Viennam sibi, ut succedenti in iura patris, arrogaret, contrà negante Philippo, successionis eius ius illi competere. Undè factum, ut Bellacostanus defensioni iuris sui auxilia imploraverit. Cuius autem potius, quam eius, in cuius clientelâ erat ab antiquo Vienna; Henrici Comitis Luciliburgensis? Nec alienum fuerit opinari, Philippum, aut neglexisse clientelæ officium, aut sanè etiam omnino excutere conatum, ob eamque rem Henricum Luciliburgensem facile ad arma contrà eum cum Henrico Bellacostano commotum. Certè Philippus multâ post hæc variâque pactione ægre adactus est, ut se clientem Luciliburgensem Viennæ nomine, maiorum more profiteretur, ut in loco dicam.

In quibusdam tabulis anno 1270 scriptis, ait Philippus, se unâ cum filio Godefrido è castro Viennensi fuisse olim electum, & cum Henrico Bellacostano pacem pepegisse; ut perspicuum sit, Bellacostani causâ præcipue gestum hoc bellum. At cur ei bello Mediomatricenses intervenerint, nondum

nondum assequor. Cum Henrico quidem Lucilburgenſi ita tandem Phllippus convenit , ut damna bello invicem ſibi ſuisque illata , quisque pro ſe ferret. Tabulæ eā de re ſunt in archio Lucilburgensi , factæ anno 1257. die Lunæ poſt D. Nicolai ferias. Cum Bellacostano quoque pax inita , ſed minimè duratura , ut eventus patefecit.

Interim finis impositus eſt Rodensi controverſiæ , & quid Viennensi Parœciæ , quidve Rodensi iuris eſſet , tabulis anno 1261 conſcriptis ; definitum , cuncta laudantibus Philippo Comite , & Mariâ coniuge eius , & Huberto de Peraut , Præceptore domorum Militiæ templi in Lotharingiâ.

Hic monuerim , veterem eſſe famam , arcem Viennensem Templarijs quondam paruiffe Dominis , ſed errore. Cauſam errori præbuerit , quod Viennensis parœcia à Rodensi Templariorum partitione , de quâ ſuprâ , velut prognata ſit. Nec famam à vanitate defendit , quod hodieque in facelli arcis Viennensis parietibus vetuſtæ admodum piętæ ſunt imagines Templariorum , aliorum equis vehentium , aliorum ſacro habitu conveſtitorum. Potuere qualibet de cauſa hominum ad Viennensium ſacrorum originem ſpedientium imagines in arce depingi.

Bello deinde inter Henricum Bellacostanum & Philippum redintegtato , ille hunc Bellacostæ captivum habuit. Id ubi comperit Philippi frater Henricus Episcopus Traiectensis , ſuafu Petri

fratris eorum, Præpositi ad D. Martini Leodij,
Virorumque Nobilium atque amicorum, egit de
liberando Philippo cum Henrico Comite Luci-
liburgensi. Is liberatione in se suscepta, ita pa-
etus est: Ut Philippus eiusque posteri Viennam
à se successoribusque suis clientelari iure tenerent.
Additum, ut Bellacosta Philippo restitueretur,
nisi per pacta pacis cederet Henrico Bellacostano:
ea autem pax ut ne fieret absque interventu
Henrici Episcopi, & Petri Præpositi ad D. Mar-
tini fratrum, & Præpositi ad D. Gereonis Colo-
loniæ Agrippinæ, Bellacostam si Luciliburgius
obsideret, & liberando Philippo restituendaque
ei Bellacostâ sumptum bello faceret, 700 libras
nummum Turonensium, nec amplius, acciperet:
ut maturandâ Philippi liberatione, Viennam in-
terim Philippus Rulandio & Koerichio viris e-
questribus, ceu fidejussoribus, committeret. In
hæc maximè capita scriptæ signataeque tabulæ,
anno 1264. pridiè festæ diei D. Petri, mense Au-
gusto. Ita liberatus Philippus: Bellacosta Hen-
rico addicta: Vienna Luciliburgensi, clientelæ
nomine asserta, neccum tamen Philippo reddita.

Anno deinde 1266. mense Iunio, Philippus
unâ cum Mariâ coniuge, Henricum Grimber-
gium, fratrem Domini ab Asch, clientem perpe-
tuum factis tabulis sibi adscivit, dato ei fundo
Bouggenhoutano. Tabulas habet Butkenius.

Eodem anno, pridie festi diei assumptæ in
cœlum Virginis, Henrico Comite Luciliburgensi
faciente

faciente fœdus cum Friderico Lotharingiæ Du-
ce adversus Theobaldum Barri Comitem, inter
decem viros Luciliburgensium procerum, qui in
paœta iuraverunt, fuit Philippus. Tabulas edidit
Hieronymus Bergierius, in libro de stemmate
Principum Lotharingorum. Quod verò antè
quinquennium inter Henricum Luciliburgensem
& Henricum Episcopum Traiectensem pactione
convenerat, ut Philippus Luciliburgensi Vien-
nam clientelæ nomine submitteret, id anno
1269. scriptis die festo D. Barnabæ, mense Iunio,
tabulis, peractum est: nimirum, ut arx Viennen-
sis cum oppido omnique ditione, & quidquid
ad eam attineret, demptis rebus quæ in clientelâ
essent Prumiensium Abbatum, Henrico Comiti
Luciliburgensi posterisque eius, clientelari iure
subiecta essent. Et quamquam iam ab antiquo
clientelam hanc maiores instituerant, firmata ta-
men est, numeratâ Philippo pecuniâ, alijsque ad-
ditis conditionibus. Cumque anno sequenti
1270. Henricus Luciliburgensis cruce signatus
in Palæstinam profectus esset, iterata est cliente-
la antè memorata, addictaque Margaritæ eius
coniugi, & Henrico maiori natu filio (qui dein-
dè ad Buruncum occubuit) additumque cliente-
la velut augmentum; Primùm bona Philippi cli-
entearia Prumiensia, sed secundariò; *positendum*
seu *retrofeudum* appellabant: deindè arx novi Ca-
stri in Arduennâ Germanicâ, cum agro suo, ita
tamen, ut Fridericus Novocastrius earundem

232 *Genealogia Historica, veterum Comitum*
rerum causâ remaneret in avitâ Philippi clientelâ
ex dimidio : altero dimidio iam directâ clientelâ
pro 300. libris nummûm , Luciliburgensibus fu-
turo imposterum obnoxio. In hæc data à Phi-
lippo iurataque fides , die Matri ultimo antè
ferias ieunij quadragenarij. Testes adscripti ta-
bulis , Henricus Bellacostanus , & Fridericus No-
vocastrius.

Alijs deindè tabulis eodem die cuncta antè di-
cta firmata sunt ; decretum insuper à Philippo, ut
si quidquam eorum ipse eiusve posteri infringe-
rent , tum clientes sui , Godefridus de Esch, No-
vocastrius, Rudolfus de Strepiniaco, Brandebur-
gensis , Oschetanus , Heinsbergius , Guarnerus,
Bourcheitanus , posterique eorum , viri omnes
equestri ordine , in Comitum Luciliburgensium
clientelam transirent , cum iisque contrà Vien-
nenses starent , quoad iniuriæ factum esset satis.
Ceras cum Philippo tabulis apposuere Godefri-
dus de Esch , Fridericus Novocastrius , & Rudol-
fus de Strepiniaco. Eodem anno atque die Hen-
ricus Bellacostaniis Margaritæ & Henrico eius
eius filio Comitibus Luciliburgensibus , Bellaco-
stam & curiam Prontsfeltanam , clientelarem fe-
cit. Excepit tamen Philippum Viennensem pa-
trium suum , eiusque filium Godefridum , nimi-
rum , ut contrà hos arma ferre ne teneretur , ipse
posteriique eius , intrâ generationem quartam :
imposterum , ut ne valeret exceptio. Addidit. Si
contigeret Philippum arcem Viennensem reci-
pere,

pere , nec pactæ paci stare velle , tūm Henricum Luciliburgum sibi contrâ Philippum auxilio esse oportere , seque & eius successoribus cum eodem Luciliburgio adversus Philippum , aliumve quemlibet Viennæ ac Dasbergi infestorem , seu is Dux Lotharingiæ foret seu quis alias , arma societatemque posse coniungere .

Ceterum quod Lotharingo in Viennam & Dasbergum ius esse potuerit , non comperi . Si conjectare licet , ita opinor . Hieronymus Vignierius , gravis doctissimusque stemmatis Lotharingici scriptor , tradit , Idam de Viennâ nuptam Friderico Lotharingiæ Ducis , cui à Bittis est vulgo cognomen , filio Ducis Mathæi . Idam autem interpretatus est Matisconensem . Sed viderit , si libet , sitne rectius interpretari Idam Viennensem nostram ? Sic Lotharingorum Principum ius aliquod uxoriū in Viennam & Daspergam facile erit assequi , atque insuper Cantipratanum intelligere , dum Yolandam appellat *Moderatoris* seu *Imperatoris Romanorum* neprem . Fuit enim Mathæi Lotharingiæ Ducis uxor Friderici mater , Berta , soror Friderici Barbarossæ Imperatoris , anno 1190. defuncti , ac proinde rectè à Cantipratano dici potuit Yolanda Barbarossæ *neptis* seu cognata . Neptes enim ea secula qualescumque cognatas nuncupabant , ut docet V. C. Iacobus Chifletius in vindicijs Hispánicis .

Eodem item anno Millesimo ducentesimo septuagesimo , sed incomptâ die , Philippus Hen-

234 *Genealogia Historica, veterum Comitum*
rico Comiti Lucilburgensi scriptis tabulis testi-
ficatus est, quæ ipse à patre Henrici, eo tempore
cruce signato, ob damna illata in arcibus ceteris-
que rebus iure deposceret, de ijs omnibus sibi
cumulate satisfactum.

Anno sequenti 1271. idem Philippus cum
coniuge Mariâ Henrico Grimbergio clientelarem
fundum Bouggerhoutanum, adiectâ silvâ, adau-
xit. Tabulas edidit Butkenius.

Tandem anno 1272. Philippus decepsit. Diem
mortis Ephemerides MARIAE Vallis ita habent:

IX. Kal. Maij, obiit Philippus Comes Viennensis. Hac
die habebit Conventus ad pitantiam XX. solidos.

Uxor Philippi fuit Maria de Perviciaco, mor-
tuo fratre Godefrido, hæres Perviciaci & Grim-
bergæ, quos exindè titulos Comites Viennenses
Philippi posteri sumpsere, cum ipsis adeò insig-
nijs Perviciacensibus, nimirum, parmâ rubrâ,
cum fasciâ argenteâ.

supervixit Maria ad annum usque 1275. quo
anno ipsa, titulo Dominæ de Grimberge & de
Perweis, Godefrido filio clientelæ nomine varios
fundos attribuit. Tabulas eius rei Butkenius
protulit.

PHILIPPI & MARIAE LIBERI.

HENRICUS. Antè annum 1280. dece-
pit, si non multò antè. Anno squidem 1270. in
quibusdam tabulis, ut suprà dictum, mentio est
de Godefrido Philippi secundo genito, cum
patre

patre Viennâ , ceu possessione communi , electo , quod de Henrico primogenito , siquidem tum inter vivos fuisset , dictum oportebat . Puerum autem deceſſisse , argumento eſt puerilis eius imago in tumbâ aviæ eius Margaritæ ; nec improbabile , eodem cum aviâ tumulo ſepultum . Ita autem in ea tumba de Henrico ſcriptum , ut ſuprâ memorabam . *Henricus primogenitus Philippi Comitis Viennenſis* . At in Ephemeridibus MARIAE Vallis , ita :

XVI. Kalendis Ianuarij obiit Henricus primogenitus Philippi , Comitis Viennenſis , de quo habuimus XX. libras . Hac die habebit Conventus ad Pitantiam XX. Solidos .

GODEFRIDUS , gentis propagator , de quo mox .

PHILIPPUS . Anno 1285 . cum Mariâ matre & fratre Godefrido , ceram tabulis materniſ appofuit , notatam inſignijs Perviciacensibus , ut eſt in Butkenio . Tradit idem in titulis eum geſſiſſe Rumpſtam , Hobokam , Vittelam , & Viennam pro parte quartâ , coniugemque habuiſſe Sophiam de Scornaco , liberosque ex eâ Philip- pum & Mariam .

Anno 1312 . interfuit Cortebergæ celeberrimo Conventui , quem eo loco iuſtituit Ioannes eo nomine Secundus , Brabantiae Dux , legesque ab eo latas cum ceteris Principibus equeſtribus que viris signavit , V. Kal. Octobris , ut ex mo- nimentis Brabanticis tradit idem Butkenius .

MARGARITA, nupra Arnoldo Co^miti Loffensi, quam anno 1280. factis tabulis dotavit, exhibetque tabulas idem Butkenius.

C A P U T IV.

*Godefridus Comes Viennensis cum Vxoribus
Aleidâ & Lutgardâ, liberisque
eorum.*

IAm anno 1270. exstat eius nomen in tabulis, ut suprà dictum.

Anno 1279. cum controversia fuisset inter Henricum Bellacostanum, & Abbatem Prumiensem, eamque composuissent Alexander Brunishornius & Gerardus Blankenheimius, factum laudavere Henricus Luciliburgensis, & Godefri^dus Viennensis Comites. Ex tabulis.

Anno 1285. VII. Idus Iunias, Maria Godefriⁱ mater, defuncto marito Philippo, silvam Marbaisiam clientelæ nomine ei tribuit. Tabulis ceram Godefridus cum Philippo fratre appendit, notatam Parmâ Perviciacensi cum hoc titulo. *S. Godefroi de Viane.* Butkenius edidit tabulas.

Scripsit hoc anno Iacobus Bretexius de Iudis equestribus habitis antè arcem Caluenciacensem in Provincia nostra, præsente Comite Luciliburgensi cum coniuge, multisque proceribus. Meminit inter alios Comitis Viennensis, eumque narrat

narrat in certamen descendisse primum. Exstat liber eius, manu exaratus, in bibliotheca Chifletiana, rhythmis vetustis Gallicis in arce Salmensi, vivente Henrico Comite, compositus. Hunc Comitem Viennæ, fuisse Godefridum nostrum, & res & tempora postulant.

Anno 1288. interfuit Godefridus celeberrimo prælio ad Buruncum, sectatus partes Ioannis I. Ducis Brabantiae. De eo nuperus poëta anonymous, qui rhythmos de illa pugna à scriptore coætaneo lingua vetere Brabantica compositos vertit.

Comitemque Viandæ

Gotfredum retinet; qui Perweis stemmatis arma;
Vexillo elato, iam morte extincta, resumpsit.

Anno 1292. pactum mutui fœderis iniit cum Ioannè Brabantiae Duce, die Lunæ ante festum diem D. Pauli. Butkenius tabulas emisit.

Anno 1294. die Veneris post SS. Trinitatis solemnnes ferias, ratum habuit, quod avus Henricus, atque avia Margarita, consentiente Philippo filio Godefridi patre, donavere Trinitarijs Viennensibus Mettendorffium & Daleidam, ut ex tabulis autographis habeo. Patris hasce tabulas Philippus filius cera appensa probavit.

Anno 1296. clientem se Ioannis II. Brabantiae Ducis profitetur Hingenensium decimarum causa. Factæ tabulæ die festo SS. Trinitatis, quarum exemplar est in Butkenio.

Anno 1297. cum immemor assertarum à se antè

238 *Genealogia Historica, veterum Comitum*
antè quadriennium Trinitarijs Viennensibus pa-
rœciarum Mettendorfiae & Daleidanæ, curato-
rem ijs parœcijs, ceu patronus, constituisset,
monitus, nullum esse ei ius patrocinij, factum re-
vocavit, editis tabulis die Veneris post solenne
SS. Trinitatis.

Anno 1299. vendidisse Godefridum Guidoni
Flandriæ Comiti Ninhoviam, auctor est But-
kenius.

Anno 1303. est primus arbiter pacis cum Io-
anne Cuickio & alijs, inter Ioannem Brabantia-
Ducem, & Bertholdum Mechliniæ Dominum.
Tabulas habet Butkenius, editas die Sabbati an-
tè ferias D. Lamberto sacras.

Obiit Godefridus anno 1312.

Uxores duxit, primam Aleidam ab Aldernar-
dâ, mortuam anno 1305. Tum Lutgardam de
Ligny, Fleruti Dominam, cuius exstant in ar-
chivio Lucilburgensi tabulæ anni 1318. quibus se
inscribit Dominam de Ligny ad Flerutum, uxo-
rem Godefridi Comitis Viennensis & Domini
Grimbergæ. Testatur autem soluta sibi à Ioan-
ne Bohemiæ Rege duo debita, quæ pater eius
Henricus Imperator apud maritum suum contra-
ixerat, primùm pro 319. libris & semuncia ar-
genti fabrefacti: deindè pro argenti signati libris
mille, ac denique ex triente pro LX. arcubalistis,
longis pedes duos. Credibile est ista comparasse
Henricum, cùm ad Imperium electus, militari
ceteroque Augustali apparatu se communivit.

LIBERT

LIBERI GODEFRIDI
EX ALEIDA.

PHILIPPUS. In tabulis paternis anno
1294. memoratur, ut suprà dictum.

Anno deinde 1306. die Veneris post annum solenne decollationis S. Ioannis, titulo *Primogeniti*, spondet Henrico Comiti Lucilburgensi, ei qui ad Imperium est electus, se Viennam ab eo clientelæ nomine more maiorum suscepturnum; id quod eodem anno, die Lunæ antè festum diem D. Andreæ prestitit, hoc addito, se ubi statum atque conditionem (quippe etiam tum vivente Godefrido patre) una cum sigillo mutaverit, cuncta iteratò probaturum, his interim tabulis sigillo suo privato proprioque signato.

Anno 1308, titulo *armigeri* vivente adhuc patre, Viennensibus oppidanis, ius, libertatem atque immunitatem more maiorum dedit, ad exemplum civitatis Trevirensis. Excepit tamen, fas sibi fore, aut belli, aut nuptiarum liberorum suorum, aut, quod Superi evenire nolint, captivitatis suæ causa, moderata ratione subsidium exigere pecuniarium. Tabulæ factæ Viennæ antè ferias D. Catharinæ dicatas, easque cum Henrico Abate Prumiensi, Gerardo Bellacostano, Friderico Novocastrio, Sugero Burcheitano equitibus, & Theodorico Brandenburgico armigero, eeris appensis obsignavit.

Anno

240 Genealogia Historica, veterum Comitum

Anno 1312. unà cum coniuge Aleida, donavit Trinitarijs Viennensibus pratum. Conditæ tabulæ postridiè Kalendas Ianuarias.

Cum eodem anno Waltherus Wiltzius, vir equestri apud nos origine, Henrico Baufortio, viro quoque equestri, Lincerium prisca gente & arce nobilem locum, vendidisset; Philippus pro Wiltzio cavit, ut ex tabulis tradit V. A. Eustachius Wilhemius Præses.

Eodem anno, V. Kalendas Octobris, adfuit Cortebergæ in Conventu Principum virorumque nobilem, habito à Ioanne II. Brabantiae Duce, ut ex priscis tabulis tradit Christophorus Butkenius.

Anno denique 1315. donavit Trinitarijs Viennensibus, unà cum coniuge Aleyda, campum Dieffendallensem vineæ instruendæ, cum censu libræ ceræ annuè sibi pendendæ die festo D. Remigij. Scriptæ tabulæ mense Aprili.

Qui eum anno Millesimo trecentesimo duodecimo obiisse tradunt, videant qua id ratione defendant, contrà pugnantibus tabulis supradictis.

Coniugem duxit Philippus Aleydam quam dixi Arensbergicam, nullis ex ea procreatus liberis.

GODEFRIDUS, quem gentis propagatorem posteà dicemus.

HENRICUS anno 1316. titulo *Domicelli Comitis Viennensis*, rogato ab Arnoldo de Pittinga Nobili

Nobili Viro, & Seneschallo seu Gubernatore Lucilburgensi, ut Ioannis Bohemiæ Regis militem susciperet, paruit ad breve tempus, sed deinde renuit. Unde equestris Ordinis sententia condemnatus est. Ex tabulis archij Lucilburgensis:

Anno deinde 1325. cùm Gerardo de Ham consanguineo suo, varijs de rebus controversis iniit concordiam. Tabulas cum eo siphavit Fridericus Novocastrius, qui *avunculum* suum eum nominat. Tabulas vidit idem V. A. editas pri diè festæ diei Ascensionis Domini Nostri, ap pensâ Henrici cerâ, notatâ Perviciacensibus insignijs.

Anno tandem 1330. cum Fridericus Cronenburgius eques tabulas ederet dotalitias Annæ de Heu sponsæ suæ, Henricus eiusque clientes Hermannus Brandenburgius, Holfeltzius, Waltherus Meisenburgius, Clarevallanus, Simon Fischbachius, Conradus Durdillius, Henricus Betendorfius, viri equestres, ceras rogati tabulis apposuere, quas vidit idem. V. A.

Obiit Henricus sub annum 1351. Uxor ei fuit Margarita Falcomontia, Domina oppidi S. Viti, Butgembachij & Dasbergi, ut Butkenius tradit.

LIBERI GODEFRIDI.

EX LUTGARDA.

LUDOVICUS, Canonicus Leodiensis, Præ-

Q.

positus

242 Genealogia Historica, veterum Comitum
positus Monasteriensis, cæsus à Wilhelmo Co-
mite Namurensi.

IOANNES, Canonicus ad D. Lamberti
Leodij.

LUTGARDA, nupta primùm Warnero
Daulensi, tūm Ioanni Sombressæ Domino, quæ
omnia idem Butkenius.

C A P U T V.

Godefridus Comes Viennensis,
& liberi eius.

VXOREM duxit Mariam Flandram, Comitis
Namurensis filiam. Profectus in Cyprum
ibi anno 1335. diem obiit, ut Butkenius alijque.
Itineris eius meminit in hodœporico suo Hildol-
fus; quod hodœporicon manu exaratum, & Bal-
duino de Steinwordiâ, Episcopo Paderbornensi
dicatum, vidi antehac in Bibliothecâ Patrum
Dominicanorum Lucilburgensium. Fuit is Hil-
dolfus Rector Parochialis in Suthen, & anno 1336.
in Palæstinam Profectus, inde rediit anno 1341.
Ita autem scribit. Item meis temporibus in Cypro mul-
ti nobiles, Barones & Milites de partibus Alemannie
discenderunt, scilicet Comes de Vianden, & Comes de
Schwartzenburg, & Dominus de Sle, & Dominus de Lich-
tensteine, & alij quam plures.

Godefrido, ex Uxore Mariâ, filij fuere nulli,
sed filiæ.

GODE-

GODEFRIDI LIBERI.

MARIA & ALEIDA. Videtur hæ defuncto patre aliquanto tempore fuisse sub tutelâ. Exstant quippe tabulæ Godefridi de Vianden Mamburni Comitatus Viennensis, quibus fideiubet Lombardis Usurarijs Viennæ degentibus, pro Ægidio Rodemacherio, Domino de Casâ-Petræ equite. Editæ tabulæ anno 1347. quibus appensa cera insignita Parmâ Viennensi. Fuerit fortasse hic Godefridus Mariæ & Aleidæ hæredum, frater Nothus. Ut ut est, enuperunt deinde, duæ illæ Godefridi filiæ, Maria in gentem Spanheimiam, iuncta Simoni, Aleida in Nassoviam, data Othoni, cuius hodie posteri, Principes Auaci, Viennenses Comites sunt.

Et hactenùs stirpem Comitum Viennensium, quam longissimè potui, ab antiquâ origine repetivi. Cetera deinde, ut notiora, multi executi sunt, sed omnium accuratissimè, doctissimèque Butkenius.



Q 2

SE-

SERIES
PRIORISSARUM
MARIÆ VALLIS.

 Uæ à prima cœnobij MARIAE Vallis origine cœtum gubernaverint, aut majoribus nostris curæ non fuit tradere posteriorum memoriæ, aut memoriæ eripuere longa tempora. Ab Yolandâ deinceps maior fuit eius rei cura. Nobilis Vir Antonius Blanchard, rerum nostratum cognostendarum perquam studiosus, mihi Seriem Priorissarum MARIAE Vallis, seculo hoc nascente digestam, exhibuit, annis, quibus singulæ obierunt, & tempore gubernationis earum adnotatis. Nomina Priorissarum, servato ordine, repræsento, duabus additis, Catharinâ, cuius exstant tabulæ anni 1285. & Aleydâ, cuius memoria ut viventis in tabulis anni 1303. Anni porrò in serie appositi, vereor ut ubique veritati respondeant. Certè in Yolandâ & Poncertâ Meisenburgicâ à vero aberrant. Quocircà ablatis ad eorum nomina vitiosis illis annis, veros substitui, ceteris suæ fidei relictis.

Yolandis Comitissa de
Vianden.

Obiit	Præfuit
anno	annis
1283.	25.
	Catharæ

Catharina	Vivebat	1285.
Poncetta de Meisenburg.	
Aleydis	vivebat	1303.
Margarita Comitissa de Lutzem-			
burg.		1336.
Ida de Mersch.		1341.	5.
Felicitas de Asperomonte.		1361.	20.
Ioannetta de Limpach.		1366.	6.
Sara de Hollenfetz.		1382.	15.
Elisabetha de Hellingen.		1384.	2.
Adelheidis de Sassenheim.		1388.	4.
Hebela de Elter.		1391.	3.
Margareta de Sassenheim.		1398.	7.
Mechtildis de Rouffy.		1411.	13.
Catharina de Rupe.		1417.	6.
Margareta de Steinville.		1420.	3.
Adelheidis de Elter.		1458.	37.
Maria von der Feltz.		1466.	8.
Iohannetta de Milburg.		1470.	4.
Anna de Rollingen.		1503.	33.
Guda de Barbanson.		1531.	28.
Iuliana de Barbanson.		1570.	39.
Catharina de Roltzhausen.		1593.	23.
Apollonia de Enschringen.		1596.	3.
Catharina de Lontzen, dicta			
Roben.		1598.	2.
Francisca de Schawenburg.		1611.	13.
Margareta de Rollingen.		1619.	7.

Hactenus Blanchardiana series. Et quæ huc
usque rem rexere Priorissæ à Senatu Lucilibur-

gens. probabantur, eratque eis magistratus perpetuus. At imposterum ab anno 1619. ex instituto Ordinis D. Dominici ad triennium eligi cœptæ sunt, quarum hic ordo.

Electa. Gubernavit.

Iuliana Elisabetha de Deuth.	1609.	4.
Barbara de Housse.	1623.	6.
Salome de Schawenburg.	1629.	3.
Nicolaa de d'Allamont.	1632.	3.
Ester Faust à Stromburg.	1635.	6. menses.
Nicolaa de d'Allamont, iterum.	1636.	1. & semis.

Hic annus Provinciæ Luciliburgensi suprà omnem memoriam præteriti temporis calamitus, eam propemodum ad solitudinem rededit, belli iniurijs & pestilentia incredibili editâ rerum omnium strage. In communi exitio MARIAE Vallis mirè afflita est, familiâ redactâ ad sex capita, Nicolaa d'Allamontia Priorissa morte sublata. Inter sex illas Virgines duæ erant ob ætatem nondum suffragio accipiendo habiles. Egêre itaque, quæ supererant Virgines, apud Reverendissimum Patrem Nicolaum Rodulfum, Ordinis D. Dominici Generalem, ut ex alio cœnobio tresmitterentur, quæ & numerum augerent, & pristino flore reducendo iuvarent. Post multas maximisque preces, agente Admodum Reverendo Patre Ioanne Frid Provinciali, Germaniæ, Pontificiâ auctoritate, ex cœnobio D. Catharinæ Augustâ Vindelicorum, tres & genere

genere, & prudentiâ, & virtute nobilissimæ Virgines missæ sunt, Maria Magdalena Comitissa Kurtzia; Iuliana Velsera, Patricia Augustana; & Maria Maximiliana, Comitissa Fuggera. Magdalena demandatum munus Priorissæ, Iulianæ Suppriorissæ, Maximilianæ data cura tirocinij. Hæ Augustâ profectæ, MARIAE Vallem advenere anno 1642. VIII. Idus Maias, eodemque die, adstantibus Admodum Reverendis Patribus Arnoldo Gilio & Lucâ Neusetero, illo Trevirensi, hoc Luciliburgensi Priore, promulgatâ publicè earum confirmatione, suum quæque Magistratum feliciter iniere, remque restituere orsæ sunt.

Elapso triennio, iterum tulit Suffragia Magdalena Kurtzia, & anno 1646. XI. Kalendas Octobres decepsit. Sublecta ei Catharina de Hautoy, confirmata est anno sequenti 1647. VIII. Idus Apriles. Exinde Magistratum continuavit ad annum usque 1661. quo anno consentientibus omnium votis electa est Maria Christina de d'Allamont. Sed rara Virginis modestia magistratusibi delato liberari petijt, nec petere destitit, donec tandem multo molimine impetrato universi cœtus consensu, à Superioribus liberata est.

Itum igitur denuo in suffragia anno 1663. & XVI. Kalendas Apriles electa est Maria Maximiliana Fuggera, cui munus in hodiernum usque diem prorogatum est, eo successu, eoque disciplinæ & rerum omnium incremento, ut cum

Floren-

Florentissimis quibusque Virginum Ordinis D^r. Dominici cœnobijs MARIAE Vallis virtutum famâ eluceat. Cœtum autem modo constituunt hæ Virgines.

Maria Christina de d'Allamont, Suppriorissa; Anna Ioanna Fock ab Hubingen, Regina Elisabetha à Daun, Maria Magdalena à Weingart, Regina Theresa à Roben, Maria Barbara de Villecholle, Maria Dominica ab Elter, Maria Barbara Hyacintha de Hautoy, Maria Ludovica de Laitre, Maria Anna de Roben, Maria Eleonara de Lige, & Maria Iosepha à Daun, novitia.

Hæ omnes spretis mundi delicijs, & stemmatum pompa, sub sua Maximiliana, probitate, integritate, pietate & modestiâ, ceu lucentes quædam stellæ, modo micant in terris, ut olim omnes cum sua Yolanda, tanquam Soles, fulgeant in perpetuas æternitates. Interim earum conscientiæ moderator paterna planè cura eis adest Admodum Reverendus Pater Hyacinthus Reuland SS. Theologiæ Professor, & in Ordine Præsentatus, vir prudentiâ, pietate, & modestiâ singulati præditus.

F I N I S.